

Commentatio Philosophica Quasdam Observationes Ad Doctrinam De Ideis Et Cogitationibus Iisque Tum Obscuris Spectantes Sistens

Wismariæ: Typis Andr. Sebastian. Winkleri, [1748]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003535054>

Druck Freier  Zugang



RU phil. April 1748

Roennberg, Bernh. Henr.

COMMENTATIO PHILOSOPHICA
QUASDAM
OBSERVATIONES AD DOCTRINAM ⁶⁰
DE
IDEIS ET COGITATIONIBUS
IISQUE TUM
CLARIS TUM OBSCURIS
SPECTANTES SISTENS

QUAM
ADJUVANTE DEO
SUB PRÆSIDIO CERTISSIMO
VIRI PRÆNOBILISSIMI ET DOCTISSIMI
DOMINI

BERNH. HENRICI ROENNBURGII
PHILOSOPHIÆ MAGISTRI ET PROFESSORIS
FULGIDISSIMI, LYCEI, QUOD WISMARIÆ FLO-
RET, RECTORIS GRAVISSIMI, PRÆCEPTO-
RIS AC HOSPITIS SUI DE SE LONGE
MERITISSIMI

A. C. M DCC XLVIII. d. APRILIS

IN

AUDITORIO MAJORI, HORA MATUTINA NONA, PUBLICO
ERUDITORUM EXAMINI SUBIICIET
RESPONDENS

GEORGIUS FRIDRICUS SCHLUETER
WALSRODA - LUNEBURGENSIS, PHILOS. CULTOR.

WISMARIÆ,
TYPIS ANDR. SEBASTIAN. WINKLERI.

1748

COMMENTATIO PHILOSOPHICA
OBSERVATIONES AD DOCTRINAM
DE
IDEIS ET COGITATIONIBUS
CLARIS TUM OBSCURIS
SPECTANTES SISTENS

ADIVANTE DEO
SUI PRÆSIDIO CERTISSIMO
VIRI PRÆNOBILISSIMI ET DOCTISSIMI
DOMINI

BERNH. HENRICI ROHMENBERGII
PHILOSOPHIE MAGISTRI ET PROFESSORIS
TUM CUIUSDAM LYCEI, QUOD WISMARIE PLO-
RIÆ, RECTORIS GRAVISSIMI, PRAECPTO
RIS AC HOSPITIS SUI DE SE LONGE
MERITISSIMI

A. C. M. DCC. XLVII. 4. APRILIS

IN
AUDITORIO MAIORI, HORA MATUTINA NOM. PUBLICO
EXAMINI SUBIECT
RESPONDENS
GEORGIUS FRIDRICUS SCHLUEFER
WALBODA - LUNEBURGENSIS, PHILOS. CULTOR.

WISMARIE
TYPIS ANDR. SEBASTIAN. WINKLERI.



Ne mireris, quod, posthabitis veritatibus nimis arduis & gravissimis, eam, quæ ubi vis obvia videtur esse, materiam in dissertatione nostra nobis sumserimus pertractandam. Cum nobis non est negotium cum viris, qui sanam philosophiam omni ex parte imbiberunt, sed studiosa juventute, quæ primis tantum modo labiis, quas ipsi propinamus, veritates gustavit: verendum esset, ne propositionum incognitarum, quibus ipsius mens nondum est adfuenta, multitudine, efficacia & virtute temulenta opprimeretur. Possemus equidem ex Philosophia Rationali, si placeret, inter alia pene intactam syllogismorum connexorum, quos vocant Sorites, doctrinam aggredi, & ultra sex atque triginta eorum figuras, ne de infinitis illarum modis dicam, in medium proferre. Possemus e veritatibus metaphysicis, ut de aliis philosophiæ partibus taceam, multa, quæ ad distinctius concipiendum mentis & corporis commercium, & adstruendam naturarum atque formarum, quæ Philosophis audiunt essentiæ, ab intellectu divino originem pertinerent

rent, cum Lectore communicare benevolo. Sed quomodo pro instituti nostri ratione alumni scholæ nostræ, tam ob temporis brevitatem, quam intellectus imbecillitatem ad tantum veritatis fastigium nondum perducti suam linguæ dexteritatem & in cognoscendis veritatibus promptitudinem in illa ostenderent materia, de qua exercitissimi nonnunquam tacere malunt, & virium suarum infirmitatem profitentur? Hæc itaque aptiori reservantes occasione illud elegimus obiectum, quod ingenio ipsorum magis videtur accommodatum esse. Interim non est, quod noto id notius esse, adeoque contemptu iudices dignum. Ideis enim earumque formali differentiæ idem, quod vulgaribus aliis veritatibus, contingit, ut ab omnibus iniuste contemnantur; vere autem apprehendantur a nemine. Diu CARTESIUS, LOCKIUS, CLERICUS & alii in idearum clararum notionibus atque distinctarum earumque discrimine fluctuarunt, donec Leibnitius suam de iis mentem in Actis Eruditorum Lipsiensibus distincte exposuit, & prætulit facem quam felicissime. Cujus vestigia perillustri Academiæ Hallensis Cancellarius & Philosophus secutus amplissimam aliis & nobis pandit viam, ut ne cæcus quidem a tramite recto posse videatur aberrare. Interim & alii media luce videre nolunt, & alii parum attentis atque invitati non vident. Novimus olim Croufazium, novimus & adhuc quosdam eius similes Academiæ doctores, quorum nominibus non una parcimus ex ratione, quibus cogitationes & ideæ obscuræ sibi minus sunt consentaneæ. Et quid de viris doctissimis, qui inter Philosophos magnam sibi famam

famam acquisiverunt, dicam, cum in definiendis cogitationum atque idearum speciebus debitas non adeo arte observarunt leges, & similitudine notionum seducti multis se non sine veritatis jactura implicarunt difficultatibus. Sicuti ex ipsa dissertatione asserti nostri veritas apparet: ita non minus evidens est, quam veritatum, ut videtur, perviarum repetita pertractatio nonnunquam sit necessaria.

Accipe igitur, Lector Honoratissime, nostra hac in re conamina benevole, qui Tibi & omnibus Litterarum Litteratorumque Patronis nos studiaque nostra commendamus quam diligentissime.





§. I.

In mente nostra mutationes aliæ contingunt atque aliæ, quibus varia repræsentantur objecta. (per exper.) Quas modo ut actus ab anima productos, modo ut objectorum repræsentationes, sive quatenus iis similitudo quædam cum objectis, aut variorum in iis obvenientium expressio inest, Philosophi contemplantur. In priori casu perceptiones audiunt; ideæ autem in posteriori. Quapropter in nobis *perceptio* est actus mentis, quo objectum quomodocunque repræsentatur. Illa autem repræsentatio sive imago objecti in perceptione occurrens dicitur *idea*. (a)

§ II.

(a) Videantur HENR. KOEHLERI Exercitationes Juris Natur. &c. Exercit. I. de Natura Hum. Moral. §. 8. & 15. Et instar omnium Illustr. Lib. Bar. CHRIST. WOLFFII Psychol. Empir. Lat. P. I. Sect. II. Cap. I. §. 48. Schol. *Si objectum, inquit Philosophus, aliquod in mente repræsentatur, distinguere debet actus mentis, quo fit repræsentatio; repræsentatio ipsa, quatenus objectum quoddam menti exhibet, & denique*

§. II.

Inter perceptionem igitur & ideam ea manifesta est differ- Earum
 rentia, quæ inter actum animæ, quo mutatio aliqua producitur, differen-
 & mutationem vel materiam hujus mutationis, ut ita loquar, si- tia
 ve quæ in illa obveniunt notanda, locum invenit §. I. Ex quo
 evincitur, Clarissimum Corvinum, in lingua Philosophorum tenen- Notetur
 da alias diligentissimum, cui in mente variarum rerum repræ- Corvinus
 sentationes sunt perceptiones (b), significatum hujus vocis in
 Philosophia receptum non adeo sancte servasse, nec ab idea sa-
 tis perceptionem distinxisse. Interim a natura perceptionis in
 definitione sua longe aberrasse non videtur, quippe qui modo
 dictam repræsentationem pro actu mentis interpretari potest.
 Quo factò, omnem tolli dissensum non immerito est censendum.

§. III.

Sed virum illum clarissimum, cum naturam perceptionis Notetur
 ulterius explicaturus differentiam inter eam & imaginem per Corvinus
 repræsentationem entis compositi in composito definitam sinit
 (c), nobis eo magis displicere non diffitemur. Quis enim, quæ-
 so, imaginem tam arctis inclusit limitibus? Ea in latissimo signi Varius
 ficatu quamcunque rei repræsentationem; in latiori variorum imaginis
 alterius expressionem, illa intentione factam, ut alterius sit signifi-
 præsentatio (d); in stricto denique delineationem entis compo- tus
 siti

*actus, quo mens repræsentationis istius, consequenter rei
 qualis repræsentatur, conscia sibi sit. Actus prior, quo fit
 repræsentatio, est perceptio § 24. actus posterior, quo mens sibi
 conscia est repræsentationis, uocatur apperceptio § 25.
 ipsa vero repræsentatio materialiter sumta. aut in relati-
 one ad objectum, quod repræsentatur, dicitur idea. Vul-
 go perceptiones & ideæ a se invicem non distinguuntur.
 &c.*

- (b) Vid. Ejusdem Institutiones Philosoph. Ration. Prælim.
 Cap. I, § 4.
- (c) Vid LL. cit. ad lit. b. Schol.
- (d) Celeb. JOAN. PET. REUSCHII System. Metaph. Ontol.
 Cap. XI. § 299.

quem
percepti-
ones non
exclu-
dunt

licet ab
imagine
differant

siti apud Philosophos (e) denotat. In ista significatione celeberrimo Kœhlero idea obiecti repræsentatio sive *imago* in perceptione occurrens audit (f). In illa non minus simplicis similitudinem includit, uti ex imaginis Dei, ad quam præcipue mentem humanam Scriptura Sacra testatur esse productam, sensu apparet. In hac autem distinctio, testante perillustri WOLFFIO & celeberrimo REUSCHIO (g), in immaterialem & materialem formata est, prouti modo in simplicis naturæ substantia, modo composita, compositi occurrit repræsentatio. Hinc sicuti mentis perceptiones, quatenus eas de obiectis producere intendimus, latiore non excludunt imaginis conceptum: ita tam imaginis notionem generalissime sumtam involvunt; quam in sensu strictiori nonnunquam obiectorum imagines sistunt præsentis. Prius ex terminorum patet definitione; posterius autem non minus evidens est. Etenim quis est, qui perceptiones nostras nonnunquam corpora delineare neget temere? Ab imaginibus quidem perceptiones nostræ differunt, id quod facile potest evinci; non autem eo, quo apud nostrum Auctorem discrimine. Ut enim taceam, perceptionem ut actum continentem ab imagine in ipso contenta differre, respectu obiecti percipiendi latius; intuitu autem subiecti repræsentantis patet angustius. Cum obiectorum in genere expressiones in simplici sive anima ortæ secundum Corvinum audiunt perceptiones per def.: tum simplicium obiectorum, tum compositorum concipimus perceptiones, quarum hæc tantummodo reperiuntur imagines per def. Quapropter sua latitudine, habita obiectorum repræsentandorum ratione, non imagines solum, sed & perceptiones rerum simplicium sub se comprehendunt. Pariter aliæ sunt repræsentationes compositorum in simplici, aliæ in composito expressæ. Utræque sunt imagines, licet illæ immaterialis naturæ sint & perceptiones dicantur; hævero materialis nomine veniant. Igitur, attento subiecti repræsentantis respectu, perceptionem cum imagine materiali, quales sunt effigies & statuæ, sub communi imaginis genere contineri est in propatulo.

§ IV.

(e) REUSCHIUM LL. cit. Psychol. Rat. Cap. III. §. 685.
WOLFFIUM Psychol. Rat. Germ. §. 75 I. (f) Vid. ad
Lit. a § I. (g) Vid LL. cit. ad Lit. e.

Cum a nobis §. I. definitio ideæ secundum KOEHLERI plu-Philoso-
 rimorumque recentiorum mentem adducta est: perillustrem phi defi-
 Academiae Hallensis Cancellarium & Philosophum in aurea sua nitio ideæ
 Psychologia Empirica Latina (b) per repræsentationem rei sim- explicat-
 pliciter ideam definire meminimus. Notum autem est, quid quod tur
 notissimum, repræsentationes in compositis, quales sunt in cere-
 bro materiales ideæ, non nisi improprie, metaphorice, ob simi-
 litudinem quandam cum mentis cogitationibus idearum nomine
 insigniri. Hinc in perillustrem *Virum* injurii esse, quod si il-
 lam definitionem extra antecedentium connexionem & conse-
 quentium auderemus interpretari. Sicuti enim in superius ad-
 ductis non nisi de operationibus mentis, ejusque mutationibus
 loquitur: ita non minus repræsentationes obiectorum, quas hic
 loci ideas nominat, de mentis mutationibus tantummodo sunt
 accipiendæ. Id quod ex annotatione hujus §-phi. 48 a nobis
 not. a jam adducta satis colligi potest superque. Ceterum nec
 ideæ notio, qua repræsentatione obiecti in perceptione obvia §. I. Koehleri
 explicatur, aliis (i) completa videtur esse. Vix a nobis impe- taxatur.
 tramus, ut menti nostræ, negata omni conscientia Logicæ accepta,
 ideas observari concedamus. Et utrum locutio germanica: *ich
 kann mir von dieser Sache keinen Begriff machen: denn ich weiß
 nicht, was ich davon denken soll*; huc possit referri, non videtur
 dubitandum esse. In finitæ autem perceptiones, quæ mentem non
 tangunt, sive quarum non sumus conscii, in animo contingunt.
 Hinc perceptionum genus, quod ad ideas iure non potest nume-
 rari, habemus, & modo dictam ideæ definitionem justo reperi-
 mus esse latiore. Ideam cum apperceptione jungendam
 esse vel inde patet, quod perillustis WOLFFIUS (k) in ea
 rationem cognitionis per ideam definitæ versari autumat. Quis
 autem ullius rei cognitione in Philosophia gaudere putandus est,
 qui sibi neque sui, neque aliarum rerum est conscius? Igitur &
 hac ratione adducti 10 conscium esse ab idea non audemus
 separare.

B

§ V.

(h) Part I Sect II. Cap. I. § 48. (i) REUSCHIO L. c. Emp.
 Psych. Cap. II. § 325. Corvin. LL. ad lit. b. § 15. (k) Psychol. Empir

An & quo-
modo ali-
orum ac
Philoso-
phi defi-
nitio pos-
sit defen-
di.

Utrum eo factum sit, an minus, ut quam plurimi recentio-
rum e. g. BILFINGERUS (l) & ipse Philosophus (m) ideam rerum
in mente representatione alias definiant, extra dubitationis aleam
nondum est positum. Aequè enim in mente generantur repræ-
sentationes, quarum sibi non est conscia, quam quas sensu quo-
dam adpercipit. Hinc nisi eas imagines rerum, quæ menti, qua
menti, hoc est quatenus mens esse cognoscitur, obversari depre-
henduntur, idearum intelligant naturam induere, eodem ipsorum
definitio laborare defectu videtur. De Philosopho autem no-
stro, quod in definitione notionis vocem mentis in sensu empha-
tico sumserit, statuendi rationes aliæ occurrunt atque aliæ. Sup-
peditatæ etenim notionis explicationi statim subiungit (n): *Ha-
bemus nimirum rei notionem, quam nobis in mente repræsen-
tare valemus, ita, ut nobis ejus simus conscii, sive tanquam
extra nos existentis, sive tanquam nobis inexistentis &c.*
Ex quibus abunde patet, eam perillustri WOLFFIO repræsen-
tationem in mente tantummodo venire ideam, cujus sibi est conscia,
& quam mens, quatenus mentis nomen mereatur, producit &
fovet. Id quod non minus ex definitionibus ideæ passim & ali-
bi ab ipso adductis apparet. Ideam hic loci per rerum in mente
repræsentationem explicatam in Compendio Elementorum Mathe-
seos ita exponit: *Ein Begriff ist eine jede Vorstellung einer Sa-
che in dem Verstande (o)*. Num autem ab intellectu in sensu sive
latiori s. strictiori sumto adperceptionem separare audeas? Cum
ergo in Elementis Latinis (p) loco hujus vocis: *mens*;
adhibeat: quam significationem termino *mentis* in definitione
ideæ occurrenti tribuas, ex adductæ vocis germanicæ: *Verstand*;
sensu potes addiscere. Fac denique, ut in allata definitione em-
phasin a nobis indicatam a Philosopho neglectam esse demonstres:
a senten-

L. c. ad lit. h. § 52. (l) In Logica § 23. p. m 16. (m) In
incomparabili libro Philosoph. Ration. s. Logic. P. I. Sect.
I. Cap. I. § 34. (n) LL. cit. ad lit. m Schol. (o) Vid. Aus-
zug aus den Anfangs-Gründen aller Mathemat. W. s. s. in
dem Vorbericht § 5. (p) Elem. Mathes. Univ. Tom. I. Com.
Brev. de Method. Mathem. § 4.

a sententia nostra & aliorum (*q*), qua conscientiam ab ideis removeri non patimur, tam ob supra allegatam rationem non recedit, quam quod in Logica Germanica (*r*) notionis definitionem menti nostræ omni ex parte conformem suppeditaverit, Einen Begriff, inquit, nenne ich eine jede Vorstellung einer Sache in unseren Gedancken.

§. VI.

Cogitatio enim est cum [apperceptione sive conscientia] Quid sit cogitatio, & quod duplici modo possit concipi. coniuncta perceptio, testante & usu loquendi & unanimi Philosophorum consensu. Ad cuius naturam distinctius perspiciendam, & difficultates quasdam in subsequenti idearum obscurarum doctrina evitandas, annotare sequentia non erit a scopo nostro alienum. Cum perceptio mentis mutationem sistit, quæ obiecti alicuius involvit repræsentationem §. I: eam menti nostræ, modo ut actum sive mutationem, quid quod ut aliqualem repræsentationem, modo ut huius vel illius obiecti repræsentationem offerre possumus præsentem. Hinc evenit, ut interdum mens sibi nullius in sua perceptione, nisi quod sit actus vel mutatio, possit conscia concipi, interdum autem aliquo modo obiectum, & denique illud non semel distinguat quam optime. Sicuti infinita, quibus duo posteriora membra illustrare possumus, toto die occurrunt exempla: ita tantum abest, ut ex phœnomenis ubivis obviis illum evincere valeamus animæ statum, quo ita debilem perceptionis habemus conscientiam, ut actum animæ tantum, non autem ulla ratione distinguamus obiectum repræsentatum; ut a posteriori eum per exempla, qua omnes conditiones, stabiliri posse fere dubitemus, nisi forte quasdam somnii imagines, quarum ulterius, quam quod fuerint, non recordamur, & illas obiectorum repræsentationes, quæ olim a nobis repræsentata meminimus, quibusque, ut præteritam eorum ideam reproducamus, sumus intenti, nisi, inquam, forte has & alias harum similes huc trahamus perceptiones.

(*q*) Vid. ad litt i. (*r*) *Bernünst. Ged. von den Kräften des Menschl. Verstandes* Cap. I. §. 4.

Id quod
ulterius
confide-
ratur

Qui interim modum, quo in mente *ro* conscium genera-
tur, est edoctus, an mens sibi solum perceptionis, qua actus sive
mutationis, posthabita omni obiekti ipsius apperceptione, conscia
possit esse, non valde dubitat. Cum pro instituti nostri ratione
nimis arctis includimur limitibus: illam genesin altius repetere
nostrum non est. Hinc tantummodo notemus, ut mens sibi ali-
cujus rei, sive sit actus ipse, sive perceptionis objectum, fiat
conscia, attentione ad eam, reflexione opus esse, & cum com-
paratione actu memoriae. Num vero prius animum, quam ipsum
actum suum contemplatus sit, posse putas attendere, utrum ea,
quae in illo actu exprimuntur, cum aliqua re convenient, an non,
ut hinc illius representationem cognoscat. Num antea, quam
de sua mutatione est certus, attentionem ad singulas hujus mu-
tationis & rei representatae partes continuare, & inter varia mu-
tationis suae atque obiekti comparisonem instituere valet? Ea
autem omnia illam praecedunt rei in representatione occurrentis
apperceptionem. Quapropter & ipsam perceptionis, qua per-
ceptionis sive qua actus nudi, distinctionem iam rei representatae
conscientia supponi conveniens est veritati. Prius mens actum
suum, suam mutationem in se ipsa occurrentem distinguere discit.
Quo facto, se ad objectum illa representatum accingit distinguen-
dum. Eodem interim modo sibi mutationem suam reddit fa-
miliarem, quo postea obiekti generatur conscientia. Audias per-
illustrem Philosophum: (S) Nun begreifen wir, inquam, wie es
eigentlich zu gehet, daß wir uns bewust sind, das ist, daß wir
wissen, was wir denken, oder, ut se rectius explicat, warum
unsre Gedanken ein Bewust-seyn mit sich bringen. Nemlich wenn
wir etwas gedencken: so behalten wir einen Gedanken durch eine
merkliche Zeit, und unterscheiden ihn gleichsam von ihm selbst
durch die Theile der Zeit, die wir, obzwar undeutlich, von einan-
der unterscheiden. Wir halten ihn gegen ihn selbst und erken-
nen, daß er noch derselbe ist, und auf solche Weise bedencken wir
zugleich, daß wir ihn vorher gehabt. Und also bringet das Ge-
dächtniß und Ueberdencken das Bewust-seyn hervor. In quibus
nondum

(S) B. G. von G. Ott, der Welt. u. s. w. Cap. 5. S. 735.

nondum ullius rei in cogitatione obviæ facta est mentio. Sed anima prius actum ipsum s. cogitationem, quam obiectum imaginis in illa contentæ attendendo, reflectendo & memoriam exercendo aggreditur, ut sibi illam reddat cognitam. Quo facto, & obiectum in illa repræsentatum distinguere conatur. Quo minus autem hos in mente distinctos actus sentiamus, sua celeritate attendendi aliorumque actuum efficit, qua varios actus, quorum nobis habitum contraximus atque consuetudinem, nostro subducit sensui sive conscientia.

§. VIII.

Varia jam inde cogitationum fluunt species, vel si mavis, alii atque alii earum modi. Etenim quævis perceptio cum conscientia sive apperceptione copulata naturam induit cogitationis Varii cogitationum modi

§. VI. In illa autem perceptione conscientia modo solum tantum actum, & mutationem animæ, quæ aliquod obiectum repræsentat sine omni distinctione obiecti, modo aliqua ratione se etiam ad rem repræsentatam extendit, modo denique ipsum sinit obiectum probe cognitum perspectumque. Interim in singulis casibus perceptio cognoscitur cum apperceptione coniuncta esse. Quocirca cogitatio alia ita debilis est, ut nullam rei perceptæ involvat distinctionem; alia vero obiectum repræsentatum partim minus, partim sinit magis cognitum. Hinc factum esse videtur, ut celeb. KOEHLERUS (t) cogitationem explicet esse perceptionem copulatam cum conscientia sui, *vel* rerum repræsentatarum.

§. IX.

Quum repræsentatio illa, quæ in cogitatione vel perceptione unita cum apperceptione occurrit, ideæ uenit nomine §. V: & idearum. idem, quod de cogitationibus valet, ad eam licet applicare. Nimirum in idea nostra mens sibi, vel æqualis tantummodo repræsentationis est conscia, vel simul etiam obiectum modo a nonnullis, modo ab omnibus ista valet repræsentatione distinguere. Nihilo tamen minus idea in omni casu repræsentatio cum conscientia coniuncta vel in cogitatione occurrens est, & manet idea.

B 3

§. X.

(t) vid LL cit ad lit. a §. II.

Cogitationes non minus, quam ideas recentiores Philo-
 sophi in claras distinguunt & obscuras. In quarum definitione
 auctores primo intuitu admodum differre non videntur, licet re
 ipsa in iis, quæ in doctrina nostra magni sunt momenti, variant.
 Aliis (*u*) cogitatio uel idea *clara* audit, quæ sufficit ad obiectum
 ab aliis distinguendum; aliis (*x*), quæ ad rem oblatam recogno-
 scendam uel denuo undecunque oblatam iterum di- vel agno-
 scendam sufficit; aliis (*y*), quæ sufficit rei ab aliis discernendæ,
 ac cum offertur, denuo agnoscendæ. Ex quibus apparet, in
 idea claræ definitione, modo *rem ab aliis distinguere* & *a-*
gnoscerè conjungi, modo a se inuicem separari & alterutrum
 solum enunciari. Iam vero in præsentiarum non immoremur,
 ad modos claræ cogitationis pertinere, quod res oblata reco-
 gnoscatur, vel denuo oblata dignoscatur, cum & ea nobis clara sit,
 quæ ad obiectum probe agnoscendum sufficit, siue prima nobis
 a vice, siue denuo occurrit. Nec inter superflua referamus, quod
 in idea claræ definitione quidam hæc duo criteria: *obiectum*
agnoscere, & *ab aliis distinguere*; coniungant, quasi qui ob-
 iectum cognitum habeat perspectumque, illud ab aliis distinguere
 non valeat. Sed in primis eos, quibus clara cogitatio ad rem
 undecunque oblatam dignoscendam sufficiens sit, rectius, quam
 quibus ad rem ab aliis distinguendam sufficere audiat, definire
 annotemus. Has asserti nostri habemus rationes. Quodsi rem
 undecunque oblatam idea nostra iterum probe agnoscere valea-
 mus: fieri non potest, ut eam cum aliis unquam confundamus.
 Contra ea semper ab omnibus aliis illam possumus distinguere.
 Hinc modo laudata definitio & eam ideæ vel cogitationis claræ
 sistit notionem, quæ ad rem ab omnibus aliis sufficit distinguen-
 dam

Variae i-
 deæ claræ
 definitio-
 nes, qua-
 rum

alia est
 iusto an-
 gustior,

alia a-
 bundans,

alia præferen-
 da est

alteri ni-
 mis am-
 biguæ,

(*u*) CORVIN. LL. cit. ad lit. b Tractat. Cap. 1. §. 19. KOEHL-
 RO LL. cit. ad Lit. a §. 16. (*x*) WOLFFIO Elem. Mathes.
 Tom 1. Comment. Brev. de Methodo Mathematic. §. 6. Bilfin-
 gero LL. cit. ad lit. l. §. 31. p. m. 21. Dilucid Philos. §. 240.
 p. m. 232. (*y*) CANTZIO Philosophiæ WOLFFIANÆ maxi-
 me secundum animæ facultatem cognoscendi Consens. cum
 Theolog. s. Psychol. Lib. 1. §. 40. p. m. 72.

dam. Illa autem notio, qua ideam, quæ ad rem ab aliis sufficit distinguendam, nominamus claram, nondum definit, utrum ad objectum ab omnibus, an a quibusdam aliis discriminandum satis sit. Quo contingit quam sæpissime, ut & eam cogitationem, non sine veritatis jactura, habeamus pro clara, quæ objectum non nisi a quibusdam valet distinguere. Equidem Logicorum regulam, terminum vel propositionem indefinitam in scientiis universaliter accipiendam esse probe novimus. Hinc non esse regeas, quod his subtilibus argutiis inhæreamus, cum ab aliis rem distinguere hoc loco idem sit, ac ab omnibus aliis distinguere. Interim & hæc monuisse non nocet, cum teste experientia vel exercitissimi illa in deteriore rapuerint sensum, & terminum hunc indefinitum particulariter sumserint. Qua enim ratione, eaque alia fieri potuit, ut eidem notioni inhærentes alii omnes cogitationes negent obscuras, alii vero in hac distinctione fluctuent, & obscuras nominent aliqua saltem ex parte claras, ita ut limitatio: aliqua saltem ex parte; non rei, sed verbi causa videatur adiecta. En supra laudatum b. CORVINUM. (z) *Idea, inquit, obscura quælibet sufficiat tamen necesse est ad objectum a quibusdam aliis distinguendum. Idea itaque obscura omnis aliqua saltem ex parte est clara* (def. ideæ claræ.) Nonne illum propterea, quod obscura idea ipsi sufficiens est ad objectum a quibusdam aliis distinguendum, seductum videmus, ut inde ad ejus claritatem concludat. Ad claritatem, inquis, aliqua saltem ex parte, nec simpliciter talem argumentatur. Sed bona verba quæso. Ex quam parte aliqua ipsi ideæ obscuræ sunt claræ? Nonne ex obiectorum parte, h. e. quatenus ad rem representatam non ab omnibus aliis, sed a quibusdam, distinguendam sufficient? Hanc enim nec aliam ex auctoris verbis secundum saniora interpretandi principia differentiam possumus elicere. Hinc secundum eius sententiam ad idearum claritatem, aut præcise requiritur, ut ab omnibus earum obiecta possint distingui, aut sufficit, si a nonnullis diversa agnoscantur. Quodsi prius est: ideæ obscuræ, quamvis ad rem a quibusdam aliis distinguendam sufficient, nulla, neque ex parte, neque quoad totum gaudent claritate

ut Corvini
nus videatur
seductus esse

(z) Institut. Philos. Rational. Tract. Cap. I. §. 27.

ritate, quod auctoris nostri repugnat sententiæ. In posteriori autem casu eum indefinito termino ad conclusionem suam inferendam permotum esse non minus, quam illam limitationem; aliqua saltem ex parte; dicis tantummodo causa allatam esse apparet. Etenim adjecta unica præmissa, saltus ipsius legitimus æque ac limitatio allata evitari posse videtur. *Idea obscura quælibet sufficiat tamen necesse est ad obiectum a quibusdam aliis distinguendum.* Cum autem idea, qua obiectum a quibusdam aliis distinguere valemus, ad illud ab aliis distinguendum satis est: *idea obscura omnis clara sit necesse est,* (p. def. ideæ claræ.) Et hæc haud improbabilis allegari posset ratio, cur aliis hæc definitio non sit probata, ut iis verbis alia adhuc adjicere, & definitionem sequenti modo maluerint formare: Clara perceptio a nobis (aa) dicitur illa, qua rem repræsentatam ab aliis distinguimus, & undecunque deinceps oblatam iterum agnoscimus, vel ut perillustis WOLFFIUS (bb) *Einige Gedanken sind so beschaffen, daß wir gar wohl wissen, was wir gedencken, und es von andern unterscheiden können.* Cum autem, qui obiectum cognitum habet perspectumque, illud cum aliis non facile confundit, uti supra iam monuimus: in eiusmodi notione completa eaque determinata explicatio illa: *quæ ad obiectum ab aliis distinguendum sufficit;* cum illo caractere, quo obiectum probe agnoscimus, non potest admitti. Et cur non illam ideæ claræ definitionem, qua obiectum bene cognoscere, sive qua novisse, quid sit, de quo cogitamus, dicimus, modo dictæ præferamus? Nonne obiectum in se considerare & eius characteres nos iubet attendere, cum in altera definitione illud ad alia referre cogimur? Melioris autem notæ apud Logicos est definitio, quæ ad criteria rerum interna, quam quæ ad relationem externam cum aliis respicit.

§ XI.

Notio
claræ ide-
æ ex op-
positæ e-
victa defi-
nitione

Nobis itaque clara audiat idea, quæ ad obiectum probe agnoscendum sufficit, uel si mavis, & tuæ inhæres notioni, quæ ad rem ab omnibus aliis distinguendam est sufficiens. Pro qua non minus

(aa) Vid. ad Lit. y. (bb) B. G. von Gott, der Welt, Seele des Menschen u. s. w. Cap. III. §. 198.

minus usus loquendi, cum notionem coloris rubri uel flavi, aut solis claram dicimur habere, quam Philosophorum consensus, uti ex supra allegatis patet, satis militat superque. Præcipue autem ex ideæ obscuræ definitione est evidens, ad claram ideam, ut objectum ab omnibus aliis distinguatur, requiri. Est enim, quæ rem perceptam non magnopere distinguit, (hinc tamen aliquo modo distinguere potest), quæque non sufficit rei ab aliis discernendæ, ac cum offertur, denuo agnoscendæ (cc). Inter Philosophos autem notum est, illa uerba hanc nec aliam admittere explicationem: omnis idea, quæ non sufficit rei, vel ab omnibus aliis, uel a quibusdam discernendæ, est obscura idea. Exemplum perillustris Philosophi (dd), quo definitionem ideæ declarat obscuræ, percipias, & omnia erunt expedita. *Si vero, inquit, plantam exoticam intuentes hæremus, num eadem sit cum alia olim alibi uisa, uel cujus nobis succurrit nomen: eius notionem habemus obscuram.* En novimus rem oblatam esse plantam, esse ab infinitis aliis, quas cognoscimus, diversam. In eo hæremus tantummodo, utrum eadem sit cum alia, quam alibi olim visam recordamur, an non. Nihilo tamen minus eam notionem non ad claras referimus, sed obscuras. Quid inde iam sequitur? Omnis idea, quæ rem ab omnibus aliis non valet distinguere, claræ non meretur nomen. Sed hæc hætenus de idea clara pariter, atque obscura in genere.

§. XII.

Quemadmodum in idearum & cogitationum claritate: ita non minus in cogitationibus obscuris concipimus gradus. Ex quibus hos ulteriori nostræ subiicere disquisitioni non erit alienum. Absoluta cogitationibus nostris & ideis inesse dicitur obscuritas, cum nihil agnoscimus, sive objectum repræsentatum a nullis aliis valemus distinguere. Relativam autem in iis, quæ objectum quidem quodammodo, non autem perfecte cognitum sistunt, sive quæ objectum a nonnullis quidem, non autem ab omnibus possunt discernere, non una ex ratione admittimus. In quibus aliæ ad

Gradus idearum obscurarum

C

rem

(cc) CANTZIUS LL. cit. ad lit. y. (dd) Philos. Ration. s. Logic. P. II. Sect. II. Cap. I. §. 80.

rem a pluribus, aliæ a paucioribus distinguendam aptæ sunt. Quapropter aliæ præ aliis ad idearum vel cogitationum claritatem cognoscuntur propius accedere.

§. XIII.

Cogitationibus interim ac ideis obscuritas absoluta non repugnat. Etenim fieri potest, ut sint & maneant cogitationes ac ideæ, licet nulla in iis obiecti occurrat conscientia vel adperceptio, licet rem iis repræsentatam a nullo valeamus distinguere §. VIII. IX. Ille autem apperceptionis defectus repræsentationes mentis arguit obscuritatis, ejusque absolutæ §. XII. Quapropter non est, quod veram inter cogitationes earumque ideas & obscuritatem absolutam frustra quæramus repugnantiam.

Nimirum quam diu, non obstante absoluta obscuritate, cogitationes sunt perceptiones cum conscientia conjunctæ, earum naturam obscuritas modo dicta nequit tollere § VI. Mens autem, uti supra dictum est, non nunquam perceptionis suæ, negata omni rei repræsentatæ apperceptione, conscia est. §. VI. VII. Hinc & eidem perceptioni, quæ cogitatio audit, obscuritatem omnimodam §. XII. & conscientiam perceptionis, qua perceptionis s. qua aequalis repræsentationis, posse cognoscimus inesse.

§. XIV.

Multo magis, cogitationes & ideas quasdam relativa laborare obscuritate, sibi est consentaneum. Nonne in ideis non omnimode obscuris, præter conscientiam perceptionis & repræsentationis, obiecta delineata modo possumus aliquo agnoscere & ab aliis, nisi omnibus aut quam plurimis, tamen quibusdam rebus distinguere §. XII? Quid autem ulterius, quam distinctio obiecti requiritur, ut ejus simus conscii (p. def.)? Quo circa ex duplici ratione cogitatio & idea relative obscura cum apperceptione potest conjuncta esse, nec ulla super est ratio, quare cogitationes & ideæ obscuræ, relativa obscuritate, sibi minus sint consentaneæ §. VI.

§. XV.

Cogitatio autem & idea obscura nulla ratione potest clara predicari. Ad claritatem in cogitando & repræsentando sufficiens

sufficiens non est, ut obiectum animo præsens aliquo cognoscatur modo, & ab his vel illis possit distingui, sed necesse est, ut illud probe habeamus cognitum perspectumque, nec ulla res occurrat, a qua non sufficienter distinguatur §. X. XI. In cogitationibus & ideis obscuris autem non tot obveniunt notæ, quot ad rem repræsentatam probe dignoscendam, & ab omnibus aliis distinguendam requiruntur §. XI. Hinc non est, quod se sua claritate ulla commendat ratione.

Quodsi cogitationibus nostris, ut perceptionibus, ex duplici ratione claritatem tribuere optamus, tum quod earum, qua perceptionum, sumus consci, id est, quatenus anima novit se habere perceptiones, tum quod & res perceptas probe cognoscimus & distinguimus: cogitationes ratione rerum dignoscendarum obscuræ possunt esse, quæ intuitui sui sive qua actus cogniti claræ sunt prædicandæ. Cui distinctioni Celeb. REUSCHIUS (ee) etiam patrociniatur atque etiam: *eas scil. perceptiones*, inquit, *quas cognoscere & ab aliis distinguere possumus, vocamus claras*: & paulo post. *Quædam in rebus obscure percipi queunt, dum alia in iisdem obvia clare repræsentantur. Fieri quoque potest, ut ea, quæ in re percipiuntur clare, non sufficiant ad rem ab aliis distinguendam, ipsiusque adeo rei totius perceptio maneat obscura. Unde rei obscure perceptæ inesse possunt, quæ clare percipiuntur. Interim, si mens sibi conscia est, quod obscure aliquid percipiat: perceptionem suam obscuram clare percipit. Agnoscere enim potest illam. Ex quibus videmus Auctorem doctissimum, tum intuitu actus mentis sive ejus mutationis, tum rei perceptæ eam perceptionem in claram & obscuram distinxisse, & perceptionem ratione rei obscuram pro clara in altero significato sub certa quadam vendidisse ratione. Nos autem in demonstratione nostra cogitationibus & ideis intuitu rei discernendæ obscuris claritatem in eodem respectu denegamus. Nec est, quod alteri distinctioni tenacius inhæreamus, cum significatui notiori nostro assueti facile possimus confundi.*

Duplex
percepti-
onum cla-
rarum
sensus

C 2

§. XVI.

(ee) Syst. Metaph. Psychol. Empir. Cap. II. §. 317 sq.

Interim cogitatio & idea nostra clara est alia, alia obscura. Nam utraque aut sufficientes, quibus notis objectum in representatione contentum optime agnoscitur, nec minus ab omnibus aliis distinguitur, in se continet, aut iis destituta deprehenditur, ut ex principio exclusi medii est evidens. Quodsi prius est: requisita cogitationum & idearum habemus clararum. In posteriori autem casu obscuritas earundem est fundata §. X. XI. Quapropter nulli dubitamus, quin cogitationum & idearum duas species, aliam claram statuamus, aliamque obscuram. Hæc hæctenus.

CLARISSIMO RESPONDENTI

S. & O.

PRAESES.

Quodsi Te pro eo, quo ob indefessum litterarum studium atque morum elegantiam in Te feror affectu, prædicarem: aliis forsan, quibus neuter nostrum est cognitus, in laudando nimis viderer liberalis esse. Igitur, ut & illis & nobis parcam, tantum modo, quas a juvene indolis egregiæ optimæque spei possumus expectare virtutes, in Te frustra non quæri afferam. Nunquam in Te diligentiam, nunquam raram in iuvenibus studiosis modestiam, nunquam denique debitam in Præceptores tuos pietatem desideravi, aut ab aliis audiui desiderari. Hinc, quod Tibi non minori tribuendum est laudi, cum Doctoribus tuis nunquam rediisti in gratiam. Quantum autem in litteris profeceris, prompta hujus Dissertationis defensio futura testabitur quam certissime. Sicuti primum in Lyceo nostro locum obtinisti: ita & primus, qui veritates philosophicas e cathedra publice defendat, & ad eadem conanda suos excitet commilitones, esse voluisti. Utrumque non minus Tibi, quam abiturum, quem Scholas altiores petiturus paras, etiam gratulor atque etiam. Quodsi eundem diligentia ac virtutum tramitem in posterum sis ingressurus: Summi Numinis gratiam æque, ac Mæcenatum tibi promitto favorem. Quo obtento, quid impedit, quo minus omne felicitatum genus & summos honorum gradus olim obtineas. Macte igitur virtute, & vale. Dab. e Museo
d. XVIII. Aprilis A. O. R. MDCCXLVIII.

sufficiens non est, ut obiectum animo præsens aliquo cogitur modo, & ab his vel illis possit distingui, sed est, ut illud probe habeamus cognitum perspectumque, ne res occurrat, a qua non sufficienter distinguatur §. X. Cogitationibus & ideis obscuris autem non tot obveniunt quot ad rem repræsentatam probe dignoscendam, & ab omnibus aliis distinguendam requiruntur §. XI. Hinc non est, quæ sua claritate ulla commendat ratione.

Quodsi cogitationibus nostris, ut perceptionibus, ex datione claritatem tribuere optamus, tum quod earum, quæ perceptionum, sumus consci, id est, quatenus anima novit se habere perceptiones, tum quod & res perceptas probe cognoscimus distinguimus: cogitationes ratione rerum dignoscendarum obesse possunt esse, quæ intuitui sui sive qua actus cogniti sunt prædicandæ. Cui distinctioni Celeb. REUSCHIUS (eius iam patrocinatur atque etiam: *eas scilicet perceptiones, in quas cognoscere & ab aliis distinguere possumus, vocamus claras: & paulo post. Quædam in rebus obscure percipiunt, dum alia in iisdem obvia clare repræsentantur. quoque potest, ut ea, quæ in re percipiuntur clare, non sunt ad rem ab aliis distinguendam, ipsiusque adeo rei tota perceptio maneat obscura. Unde rei obscure perceptæ in se possunt, quæ clare percipiuntur. Interim, si mens sibi conscia est, quod obscure aliquid percipiat: perceptionem se obscurem clare percipit. Agnoscere enim potest illam.* quibus videmus Auctorem doctissimum, tum intuitu actus mei sive ejus mutationis, tum rei perceptæ eam perceptionem in se ipsam & obscuram distinxisse, & perceptionem ratione rei obiectam pro clara in altero significato sub certa quadam vendidit ratione. Nos autem in demonstratione nostra cogitationibus & ideis intuitu rei discernendæ obscuris claritatem in eodem respectu denegamus. Nec est, quod alteri distinctioni tenacius inhaeremus, cum significatui notiori nostro assueti facile possimus confundi.

C 2

§. XV

(ee) Syst. Metaph. Psychol. Empir. Cap. II. §. 317 sq.

